



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quo modo Ecclesiasticus orator possitad p[ro]positum rationem subijcere;  
& vndè deslexitoratio, redire. Cap. XV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

vare desideras, medicus est: si febris astuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cibum quæris, alimentum est. Quæ ratione debeat proponere Ecclesiasticus orator, & qualis debeat esse propositio, dicemus paulò post: item de diuisione, & distinctione, quas non solum formas sententiarum, sed etiam instrumenta dispositionis esse, facile est animaduertere.

Quo modo Ecclesiasticus orator possit ad propositum rationem subijcere; & vndè deflexit oratio, redire.

## Cap. XV.

**S**ANCTVS Gregorius Nazianzenus in laudem Heronis, docens, cur Hero fuerit athleta minimè fictus, subiicit rationem: Hic est veritatis athleta minimè fictus, & trinitatis ad sanguinem vsque propugnator; atque eorum, qui ipsum, iniuriæ inferendæ causa, persequebantur, patiendi alacritate expugnator: nihil est enim, quod persecutoris vim perindè frangat, vt patiens alacritas & promptus animus. Sapè poterit vti hac forma Ecclesiasticus orator: Cupitis scire, quæ obrèm in varias calamitates incidatis, melioris spei filij decedant; qui supersunt, vos tristitia afficiant. varijs morbis affligamini, caritate annonæ, & alijs incõmodis exerceat, aut puniat potius vos Deus? quia eius mandata non custoditis, quia iniusti estis in vos, & in alios. Is, què paulò antè nominauimus, sanctus episcopus Gregorius Nazianzenus in Apologetico, cum officium sacerdotum exposuisset, in hominum reconciliatiõis & salute versari; salutis mysteria omnia, Christi-  
M stique

stiq; ortum, facta, miracula, passionem, resurrectionem; exornandi causa collegit, tum ad propositum rediens: Ac nos, inquit, huius medicina ministri, operisq; participes sumus; quicumq; superiori loco sedemus. Sic orator Ecclesiasticus utatur hac forma dicendi, ita dictante Spiritu sancto; Ne illud quidem, quod dixerā, cogitās; digressus sum, utinam aliquo vestro cum fructu nunc redeamus, vndē deflexit oratio: quod quidem facere commodē poterit semel aut bis in concione.

Exemplum conclusionis.

Cap. XVI.

**D**IVVS Basilius in oratione ad diuites, expositam rationem concludens. Quid igitur, inquit, tempus expectas, cum ne mentis quidem tuæ compos es futurus? Itā Ecclesiasticus orator: Esto huius & omnium meorum sermonum, concionum, & hortationum mearum conclusio; ut sitis vos populus Dei, hereditas Christi, gaudium meum et corona mea, humana contemnentes, huius exilij obliti, ad caelestem patriam adspiretis. quæ dicēdi forma, rurū maximē adhiberi posse videtur, atque etiam crebrō.

Transitionis, & Repetitionis exemplum.

Cap. XVII.

**S**ANCTVS Chrysostomus cum orationem ostendisset, peccata expiandi vim habere; sic ad aliud argumentum transit: Nec verō peccata solum purgat oratio, sed pericula etiam grauisima depellit; deindē exemplis id confirmat: & pluribus explicatis, sic ad oracula Christi